



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

I. Raptori rerum ecclesiasticarum, nisi ablata restituat, vel de restituendo cautionem dederit, poenitentia est deneganda: & si talis decesserit, clerici eius sepulturae non debent interesse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI 1179. DE RAPTORIBVS, ET ECCLESIARVM PARS XXXIV.

VIOLATORIBVS, ET QUANDO POST PERACTAM
pœnitentiam sit neganda sepultura ecclesiastica, nisi
satisfident de damno restituendo.

CAP. I.

Eugenius tertius vniuerso clero.

SUPER eo quod de raptoribus ecclesiarum, atque presbyteris, qui pœnitentiam eis iniungere, & oblationes eorum contra statutum nostrum suscipere attentauerint, a nobis communi deliberatione statutum cum fratribus nostris statuimus, & constitutionem ipsam, sanctorum patrum vestigia subsequentes, auctoritate Dei & sanctorum apostolorum Petri & Pauli pariter confirmamus, statuentes, vt quicumque ex his raptoribus, qui in vrbe diabolo suggerente violenter surrexerint, in rapina, siue in ecclesiarum violatione manifeste est deprehensus, vel amodo fuerit, nisi ablata prius restituat, si poterit, vel emendandi plenam securitatem fecerit, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegent: si vero vsque ad obitum, quod absit, in sua contumacia durauerit, & in extremis positus, pœnitentiæ remedium humiliter postulauerit, si emendationem vel emendandi securitatem præstiterit, ac fideiussores, qui ablata restituere debeant, idoneos dederit, ei pœnitentiæ & ecclesiastica sepultura concedatur. Qui autem in sanitate obstinata mente non pœnituerit, vel emendauerit, & in morte securitatem ac fideiussores, sicut diximus, præstare nequiverit, solennitas pœnitentiæ parum prodesse (sicut credimus) videtur: sed viaticum non negetur, ita tamen, vt nullus clericorum sepulturæ illius intersit, nec eius eleemosynam accipere præsumat. Quod si qui presbyterorum vel clericorum contra statutum nostrum in vita vel in morte pœnitentias dare, aut sepulturæ illorum interesse, vel eorum eleemosynas accipere attentauerint, seu huiusmodi rapinæ participes inuenti fuerint, ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & beneficio ecclesiastico careant.